J. J.

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA *DE* LVXATIONE VERTEBRARVM,

Qvam

PRÆSIDE

DEO TER OPTIMO TER MAXIMO,

DECRETO

GRATIOSISSIMÆ

FACVLTATIS MEDICÆ

IN INCLYTA NORIBERGENSIVM VNI-
VERSITATE ALTDORFINA,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTO-
RALIA RITE OBTINENDI,

Publicæ placidæq; φιλιάτρων ventilationi

ad d. 3. Junji A. CIↃ IↃ CCVII.

H. L. Q. C.

ſubjiciet

TOBIAS DEGGELLERVS,

Scaffuſio-Helvetius.



PRÆFAMEN.

QUam utilis, ne dicam necessaria, sit futuro Medico illa Medicinæ pars, quæ Chirurgia audit, experiuntur illi, qui ad ægros ejusmodi vocati, judicium suum suspendere coguntur: nec, uti nonnullis videtur, pro abjecta habendam, quia potius omni studio excolendam esse, celeberrimorum Doctorum testimonio comprobari posset; hanc præcipue ob causam, quoniam nonnunquam satis desperati, & Medico vel Chirurgo multum negotii facessentes casus observantur. Unde est, quod hodieq; Academiæ præsertim Europæ de Viris artem hanc probè callentibus sibi prospiciant, qui sese Professores Chirurgiæ nominari non verentur. Ex his autem non sequitur, Medico omnes & singulas operationes chirurgicas propria manu esse perficiendas; sufficit enim, si Medicus ad ægrum, morbo externo decumbentem, vocatus, sciat imperare, h. e. ut capax sit, Chirurgum, si qua in re erraverit, melius de operatione suscipienda instruere ac informare: rarum quippe non est, ut aliquando Chirurgi vel potius Chirurgastri in ejusmodi casibus nec principium nec finem quærere sciant, præsertim si Anatomiæ minus gnari existant. Inter casus chirurgiæ nonnunquam satis desperatos merito locum sibi vendicant Luxationes quædam, præprimis illæ, quibus Vertebræ Spinæ Dorsi vexantur atq; affliguntur; quare con-

ſultum duximus, poſtquam per Dei gratiam examina conſueta publica coram Gratioſiſſima FACULTATE MEDICA *ſuſtinuimus, ſpeciem quandam* Luxationis Vertebrarum *loco Thematis Inauguralis pertractare, & quidem illam, quæ à cauſa quadam externa originem ſuam traxit: alteram vero jam alibi ſimili modo tractatam, brevitatis ſtudio præterire. Faxit itaq; DEUS O. M. ut omnia cedant ad Divini Nominis ſui gloriam, proximiq; ægrotantis ſalutem.*

THES. *I.*

ORdini hactenus obſervato, ut inſiſtam, ante omnia eruenda venit Etymologia vocis Luxationis, quam à Latinitate originem ſuum habere facile perſpicimus; cum & τὸ Luxare, a quo derivatur, natales inde ſuas deducat. An vero derivari debeat à luo, lucto, aut à luxu, Grammatici & Philologi extricent. Ejusdem etiam originis eſt Vertebra, à Vertendo nomen ſuum nacta, quoniam corpori vario modo flectendo & torquendo inſervit.

II.

Varia nunc utriusque vocis oſtendenda occurrunt Synonyma; & quidem Latinis, Diſtorſio, Excidentia, Dislocatio, idem ſunt, quod Luxatio: ut taceam membra luxata quibusdam chirurgis etiam vexata audire, unde apud Veteres præſertim toties Curæ Vexatorum fit mentio; Græcis vero ἔκπτωμα, ἐξάρθρωσις, ὄλισθος, ὀλίσθημα dicitur, tandemque Germani appellant, eine Verrenckung / Verdrehung &c. Sic nec Vertrebræ ex tribus hisce Linguis ſua deſunt Synonyma; licet Latina perpauca poſſideat, dicitur tamen quibusdam etiam Verticillum, Vertibulum, item Cardo: forſan quod in officio vel figura aliquo modo conveniant. Græca autem plura

ra ſuppeditat e. g. σπόνδυλος, ἀςράγαλος, ςρόφιγξ; Germanica ſunt: Ein Gewärblein / Rückrads-Gelänck.

III.

Synonymiam excipit Homonymia, quam tamen ſicco quaſi pede tranſimus, cum nihil peculiare nobis obveniat; ſi quis autem in hunc cenſum vocare velit, pararthrema ſive uti Latinis dicitur, Subluxationem, nobis perinde erit, niſi quod exiſtimemus, illam potius ad Differentias pertinere, de quibus inferius ſuo loco plura dicemus. Cum voce Vertebra res eodem redit, unde vix opus erit, plura de his addere, quin potius arbitramur, properandum nobis eſſe ad realem harum vocum expoſitionem, quam in ſequentibus tentabimus.

IV.

Antequam ad ſpecialem aliquam Luxationis definitionem nos accingamus, pauca quædam circa generalem monenda, præmittemus: & quidem tentabimus aliqualem ejusdem deſcriptionem in medium proferre, hunc in modum, nimirum Luxatio in genere dicitur, quando osſis alicujus è propria ſede in alienam fit emotio, ſive deinde illa contingat in totum, ſive aliqua ſaltem ex parte id acciderit, cum motus arbitrarii impeditione.

V.

Nunc agedum rimabimur paucis ſpecialem, adeoque ipſius noſtri affectus definitionem: Conſultum vero nobis videtur, denuo in memoriam revocare, quod ſupra in præfatione monuimus: nempe nos heic loci non eſſe ſollicitos de pertractanda Luxatione Vertebrarum, tanquam ab interna cauſa proveniente; quin potius de illa, cui anſam præbuit res quædam externa: Unde etiam pleraque definitionis requiſita eo dirigemus. Eſt igitur Luxatio Vertebrarum earundem contiguitatis ſolutio, rem aliquam externam accuſans, ſimulque motus voluntarii læſionem inferens.

VI.

Genus omni caret difficultate, cum avtopsia quemvis evincat, partes antea exactissime sibi invicem respondentes, adeoque contiguas, è loco suo naturali esse propulsas; quod etiam subsequens actionum læsio satis superque demonstrat. De reliquis in Definitione contentis, inferius plura dicenda occurrent, quando de Differentiis peculiarem instituemus sermonem.

VII.

Pergimus igitur ad Subjectum hujus mali, cujus Principale jamdum in Definitione fuit monstratum; vix ergo necesse erit, diu circa Adæquatum ejusdem, utpote quod totum corpus humanum constituit, morari, præsertim illæ corporis partes, quæ per articulationem sunt conjunctæ. Melius fortean erit perspicere, quid proprie Vertebræ sint, aut quid per illas Anatomici indigitare velint, quando de iisdem sermonem instituunt. Quodsi igitur eorundem perlustrabimus scripta, inveniemus Vertebras communiter vocari ossa illa numero utplurimum triginta, capiti tanquam Supremo Ventri subjecta, in medio excavata, pro libero spinalis medullæ transitu, variis item processibus & foraminibus in gratiam vasorum nervorumque donata.

VIII.

Circa hanc Vertebrarum descriptionem adhuc quædam veniunt notanda: quod nimirum Vertebræ proprie sic dictæ seu Legitimæ ordinariè non nisi viginti quatuor inveniantur, videlicet septem colli, duodecim dorsi, & quinque lumborum. Licet Autores confirment, aliquando in cervice octo fuisse repertas, præsertim apud ejusmodi homines, qui collo longiori sunt instructi. Reliquæ sex à nobis prolatæ Vertebræ dicuntur Nothæ sive Spuriæ, quoniam in multis cum reliquis non conveniunt, sed solummodo easdem æmulantur, maximè vero, quia in adultis immobiles notantur. Constituunt verò hæ

verte-

vertebræ Spuriæ os ita dictum Sacrum, & notandum, quod in infantibus laxius, in provectiori autem ætate ita firmiter connectantur, ut unicum os constituere videantur, remanentibus tamen aliquibus distinctionis vestigiis in parte interiori, per levia quædam cartilaginum rudimenta indigitatis. Observarunt quoque Anatomici, quod aliquando quinque solum, rarissime vero septem conspiciantur.

IX.

Nec silentio prætereunda nobis videtur peculiaris articulatio, qua Vertebræ Spinæ dorsi gaudent, & Græcè γίγγλυμος Latinis vero Articulatio mutua audit, quoniam nempe idem Os ex una parte excipit, ex altera vero etiam excipitur. Plura, qui desiderat, inspiciat librum illum lectu uti dignissimum, ita etiam jucundissimum, sub titulo Ideæ Machinæ Humanæ editum, Magnifici h. t. Rectoris Viri Prænobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi Domini JOH. MAVRICII HOFFMANNI, Phil. & Med. Doct. Chemiæ, Anatomiæ & Botan. Prof. Publ. Archiatri Onoldo-Brandenburg. & Solisbaco-Palatini, Reipubl. Noriberg. Phys. Ordinarii & Academiæ Naturæ Curiosorum Adjuncti, Heliodorus dicti Celeberrimi, Domini Patroni & Studiorum nostrorum Promotoris omni honoris cultu pie ac submisse devenerandi.

X.

Cum nihil in toto corpore humano observetur, quod non habeat aliquam causam, cui existentiam suam attribuat; ita etiam sese res habet cum Statu præternaturali, & in specie cum affectu nostro: in cujus ideo causas absque majori verborum ambage inquiremus, si prius monuerimus, vix opus imo nec possibile esse distinguere in causam proximam & antecedentem, quemadmodum alias fieri solet in morbis a causa interna enatis. Quem enim fugit, lapsum, ictum, vel aliam violentiam externam constituere ipsissimam affectus nostri causam proximam, nec opus habere aliqua causa ante-

ceden-

cedente, nisi dicere velimus, hominem vel aliud quidpiam, quod vim ejusmodi mediante corpore aliquo duro exercuit, eandem efficere, quod perinde nobis erit. Neque etiam morabimur circa distinctionem inter Causas Naturales, Non-naturales & Præternaturales; præsertim quod res in homine Naturales, ut tales, causæ morborum proprie dici nequeant. Nonnaturales verò ac Præternaturales ex sequentibus innotescent.

XI.

Causas itaque externas in medium prolaturi, obvenit nobis ante omnia lapsus ex alto, ictus, compressiones & similia: Sic enim cadunt lapides, aliæve res graves, quibus homines quandoque obruuntur. Occasionem etiam ad hunc affectum præbet, nimia vestium cnnstrictio, quod in juvenculis præsertim nonnunquam observatur, motus item nimius vel inordinatus. Neque desunt, qui asserunt, hominem, præsertim infantes & juniores, sibi malum hoc posse conciliare ex mala consuetudine, qualia tamen exempla rarissime notantur. Helmontius originem hujus luxationis ab inæqualitate roboris ipsius spinæ deducit, ob quam Vertebræ in alienum situm distorqueantur, accedente vel externa vel interna quadam vi Archeum substernente, uti ex eodem Dol. in Encyclop. Chirurg. Ration. Lib. II. Cap. VII. §. 6. indigitavit. Inter causas externas merito suo etiam referri potest incuria quarundam nutricum, cum nempe infantes fasciis nimis arcte vel inæqualiter constringunt, aut ulnis gestant, antequam spina ita sit firmata, ut erecti sedere queant.

XII.

Dubitandum interea non est, multo plures dari causas internas affectum hunc promoventes, quales sunt v. g. intemperies hominis phlegmatica, ex quorundam etiam opinione ætas puerilis ac juvenilis, non tamen penitus excluso virili: cumque juxta nonnullos sexus sequior phlegmaticus statuitur, hinc

hinc est, quod hunc præ virili magis pronum habeant ad præsens malum, pro hæreditario morbo nonnullis venditatur, ejusque causam vitiosæ uteri conformationi adscribunt. Certum insuper est, quod causæ ejusmodi internæ utplurimum laxitatem ligamentorum concilient, unde mirum non est, quod ab assumtis cibis flatulentis, viscidis ac facile corruptibilibus laxitas eorum augeatur. Huc etiam pertinent Vigiliæ nimiæ, quoniam notum est, occasione earum concoctionem non modo impediri, verum etiam cruditates cumulari. De Præternaturalibus nihil dicam, cum alias constet, varia ad hunc affectum concurrere mala, præprimis Tumores, circa spinam enati, & ventriculi actio fermentalis læsa, sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

XIII.

Accedimus ergo ad Differentias, inter quas primo sese offert illa, quando alia Vera, alia Notha sive spuria nuncupatur (quæ ultima aliis Subluxatio etiam audit) alia ad exteriora, alia ad interiora fit. Ratione loci affecti, quædam infra, quædam supra diaphragma observatur: porro quædam Luxatio est Vertebrarum Cervicis, quædam Dorsi, quædam denique Lumborum. A causis desumta differentia, est vel ab interna vel externa. Modus tandem Luxationis quasdam suppeditat, quando videmus, quod alia accidat antrorsum, alia retrorsum, & alia ad latera, & hæc dicta sufficiant de differentiis nostri Affectus.

XIV.

Cum ad Signa hujus mali nobis progrediendum sit, operæ pretium erit, juxta communem eorundem divisionem, (quæ fit in Diagnostica & Prognostica) prius inquirere in illa, quæ nobis hunc affectum certo certius patefaciant: hæc autem omnium optime avtopsia monstrabit: quid enim obstat, quod nonnunquam sola inspectione ægri dicere vel con-

cludere possimus, hunc vel illum laborare Vertebrarum Luxatione, sive deinde introrsum, extrorsum, dextrorsum, sinistrorsum sive alio modo acciderit: ex hoc tamen non sequitur, alia hunc affectum demonstrantia signa esse omittenda, quin potius meo judicio cum priori rite sunt conferenda. Quod attinet illa signa, quæ avtopsia largitur, hoc modo ab invicem discerni queunt, quod, dum e. g. observamus gibbum quendam, sine dubio erit Luxatio extrorsum facta: è contra vero cum cavitas quædam depressa in spina notatur, statim concludimus Luxationem introrsum accidisse.

XV.

His præmissis videbimus, quænam alia signa in notitiam hujus morbi nos deducant. Et certe mirum non est, quod illi, quibus Lumborum Vertebræ introrsum fuere propulsæ, sæpius conquerantur de dolore dorsi acerbissimo, nec non circa ventriculum, quem sine dubio extremitates ipsius Vertebræ, partibus dorsi mollibus itemque ventriculi producunt: hinc etiam ratio affulget, cur vomitus patiantur crebriores cibique fastidium. Ex eodem fonte fluit, quod statim post lapsum vel ictum ejusmodi patientes incidant in paralysin partium præsertim inferiorum, quam postmodo excrementorum ac urinæ suppressio comitatur. Similem casum observavit & annotavit Gilhelm. Fabric. Hild. in Observationibus suis Chirurgicis Centur. V. obs. 68.

XVI.

Quoad signa Prognostica, non veremur dicere cum Hildano, inter Luxationes omnium periculosissimam esse illam, quæ in Spina dorsi occurrit. Cum vero & hic una præ altera magis periculosa existat, paucis declarabimus, quid de his sentiendum sit: nimirum quantum ad illam Spinæ dorsi Luxationem, quæ introrsum accidit, & revera completa notatur, facile adstipulari possumus illis, qui eandem pro incurabili

rabili & lethali habent, cum experientia hoc ſatis ſuperque teſtetur. Et licet obſervationes in contrarium proſtent, quæ affirmant, aliquando poſſibile eſſe, ut Vertebræ introrſum luxatæ, in priſtinum locum reduci poſſint: nihilo tamen minus nobis adhuc ſcrupulus hæret, an completæ revera fuerint, vel ſaltem apparenter tales, quod ſæpe accidit. Exemplum reſtitutarum Vertebrarum nobis præbent Ephemerid. Germanorum Decur. I. Anni IV. & V. obſ. 77. quod merito ſuo inter rariſſima eſt numerandum, de quo tamen adhuc dubitari poteſt, an ſpinalis medulla in totum fuerit compreſſa: deinde conſtat, quod ipſa hæc Luxatio, non uni ſoli vertebræ acciderit, verum tribus uti Autor expreſsè prænunciavit, quæ juxta communem Chirurgorum ſententiam non tam periculoſa eſt, ac illa quam una tantummodo Vertebra experitur, aliam adhuc hujus farinæ obſervationem annotavit Joh. Nicolaus Binningerus in ſuis Obſervationibus & Curationibus Cent. IV. obſ. 29. quam, uti & præcedentem humaniſſime atque fideliſſime nobiſcum communicavit, Vir Præ-Nobiliſs. Experient. atque Excellentiſs. DN. JOH. JAC. BAJERUS, Phil. & Med. Doctor, hujusque Profeſſor Publicus, Illuſtris Reipubl. Norib. Phyſ. Ordin. Dominus Patronus ac Præceptor noſter æternum devenerandus.

XVII.

Pergimus nunc ad aliam Luxationis Vertebrarum ſpeciem, nimirum illam, quæ extrorſum vergit; nec dubitamus, quod Curatio aliqua locum habeat, præprimis ſi ſtatim ab initio membrum luxatum in priſtinum ſuum locum redigere tentemus: nonnunquam vero & hanc incurabilem obſervari non eſt negandum, præſertim ſi imperitus quidam Chirurgus acceſſerit, qui neſciat tractare ægrum, nec etiam fundamentis Anatomiæ ſit inſtructus, ut taceam, quod aliquando inveniantur, qui licet rem probe calleant, tamen ex commiſerati-

one patientis, manum quasi ab operatione retrahant, quod minime fieri deberet: siquidem Celsus inter alia Chirurgi requisita etiam hoc numerare non dubitavit, ut sit animo intrepidus, immisericors &c. Cum aliis Vertebrarum Curationibus, nimirum dextrorsum aut sinistrorsum contingentibus, res eodem redit, adeoque vix opus erit plura his superaddere. Quod vero illam Luxationem concernit, quæ ab interna causa proficiscitur, (quò pertinent Hippocrat. Sect. VI. Aphor. 59. & 60.) aliquando Curatio locum habet, aliquando etiam non, prout circumstantiæ variant rem.

XVIII.

Hactenus fuimus occupati circa Statum hujus affectus indagandum, nunc ordinis ratio nos ducit ad Curationem præsentis morbi, quam etiam ea, qua fieri poterit brevitate proponemus; si prius quædam, Curationem generalem spectantia, præmiserimus, quò postmodum eò felicius progredi nobis liceat, in tradenda speciali quadam, adeoque nostrum morbum concernente, Curatione. Notum quippe est in Luxationibus restituendis generalia quædam locum semper obtinere, quorum primum est Antitasis, quæ idcirco adhibetur, quoniam in omnibus Luxationibus, quemadmodum etiam in fracturis, tendinum quædam contractio contingit, cui aliter succurri nequit, quam extensione membri luxati. Qualia vero hic requirantur Instrumenta, Operationum Chirurgicarum Scriptores monstrabunt, nonnunquam autem solis manibus possunt restitui ægri. Extensionem excipit Mochlevsis, qua mediante articuli in naturalem locum compelluntur. Addunt alii Apothesin, quando membrum ipso facto in sedem pristinam est reductum, quod ex sono vel membri antea luxati munere colligere licet. Denique opus est Deligatura, nisi enim hæc accesserit, membrum repositum facillime excidere rursus posset; hæc autem ita est adornanda, ut neque nimis

mis laxa, neque etiam nimis arcta instituatur: hinc est, quod ex Deligatione solum statim cognoscere possimus, an Chirurgus artem suam probe calleat, nec ne. De figuris fasciarum in genere nihil addere licet, quoniam sæpius variant; hoc tamen plerumque observare solent Chirurgi, ut forma fasciarum cum membri luxati respondeat, quæ regula tamen in multis exceptionem patitur, præsertim in nostro Casu.

XIX.

Hisce jam prælibatis accingimus nos ad specialem nostri morbi Curationem, de qua itidem quædam præmonere libet: scilicet nos heic loci non esse solicitos de methodo Præservatoria, utpote quæ incongrue dicitur de morbo jam præsente; neque etiam de Vitali, quoniam hæc ad omnes Indicationes sese extendit, neque peculiarem aliquam classem constituit; omnia enim quæ adhibentur in ægro, ideo adhibentur, ut mediantibus illis Sanitas adeoque Vita recuperetur aut conservetur. Sed de his videatur Propyleum Medicum Magnific. atque Excellent. Domini JACOBI PANCRATII BRUNONIS, Phil. & Med. Doctoris, hujusque Professoris Publici Primarii Celeberrimi & h. t. Decani Spectatissimi, totius Universitatis, nec non Colleg. Medic. Noribergens. Senioris gravissimi, Poliatri Altdorf. meritiss. Domini Patroni & Præceptoris nostri omni observationis & venerationis cultu prosequendi. Quin potius Curationem nostram ad Indicationes duas dirigemus, quarum primaria nititur repositione Vertebrarum loco motarum, altera vero & secundaria absolvitur firmatione earundem per debitam commodamque deligationem. Interea non omittemus quædam etiam ex fonte Pharmacevtico & Diætetico in medium proferre, ubi necessitatis ratio id exiget.

XX.

Initium facimus à fonte, qui dicitur Chirurgicus, ubi post decentem Status Luxationis explorationem obvenit,

commoda ægri ſupra menſam aut ſcamnum collocatio, cui etiam accedit, ut vinculis linteis ſub alis & ad ilia cruraque arctè vinciatur, quo poſtmodo extenſio, tam ſurſum, quam deorſum peragi commode queat. Extenſione jam peracta, Chirurgus Vertebras exterius prominentes, introrſum impellit, tum ſolis manibus, tum etiam ſi opus fuerit, inſtrumentis quibusdam idoneis: & tandem miniſtri, quibus incumbebat extendere ſpinam, ab antitaſi ſenſim remittunt, quo Chirurgus ipſam repoſitionem perficere poſſit; cujus ex voto impetratæ ſigna eſſe ſolent, ſonitus vel ſtrepitus acutus & ſubitaneus, qui auribus percipitur, nec non recuperata luxatæ Vertebræ cum reliquis in ſitu æqualitas, quam tactus manifeſtat: accedit remiſſio doloris & aliorum ſymptomatum. Hinc deligationem Chirurgus ita debet adaptare, ne Vertebræ rurſus excidere, & locum mutare queant: ad hoc vero negotium quandoque requiritur, ut Chirurgus inſtructus ſit ſpleniis, ferulis aut laminis quibusdam, ad hanc rem accommodatis, quas deinde applicare & circumponere debet, admotis prius congruis emplaſtris, quorum paulo poſt mentionem faciemus; caveat tamen circa ferulas, ne fortius premendo vicinis partibus aliquam moleſtiam creent. Quibus peractis æger ſupinus in lecto collocandus, ferulæque per aliquod temporis ſpatium relinquendæ, donec Chirurgus certus ſit, Vertebras arctè iterum cum ſpina cohærere, ut amplius excidere nequeant, citra novam intervenientem violentiam.

XXI.

Sunt autem peculiares quidam Vertebras in naturalem ſitum propellendi, modi, à diverſis laudati, quos brevitatis ſtudio omittere libet, quoniam potiſſimum ad variam extenſionis enchireſin in omnibus res redit. Singularem præ cæteris indigitavit Senn. ex aliis deſumens, quando brachia decuſſatim pectori injicere præcipiunt, manibus in tergum reflexis,

flexis, quas alius à tergo sedens, genua sua applicans dorso apprehendat, ægrumque hoc modo concutiat, donec strepitus quidam audiatur. Alii etiam manibus ægrum suspendunt, & hinc inde commovent, donec fragorem aliquem percipiant, de quo vid. Taliacot. in Chirurg. Curt. l. 2. & hæc sufficiant de Curatione Luxationis ad externa vergentis.

XXII.

Nunc brevibus ostendemus Curationem luxatarum Vertebrarum versus interna, de qua judicium nostrum suspendere libet, cum rarissime obtigerit, quod ejusmodi ægri fuerint restituti, ob circumstantias, operationem vel Curam valde impedientes. Quod attinet illum modum, quem ex Ephemeridibus Germanorum in peculiari & superius jam allegata observatione, feliciter adhibitum esse novimus, uti & alterum, de quo ex Binningero, etiam jam citato, constat, sine dubio exempla sunt uti notatu dignissima, ita certè rarissima, nec credimus alium posse eosdem facilè imitari, ut taceam, quod raro inveniantur ægri, qui Medico vel Chirurgo, tantam præstent obedientiam, ac illi fecere: & posito aliquando hoc evenisse, quis propterea dicere audet, quod Luxatio Vertebrarum ad interna, in genere considerata, Curationem admittat, à potiori enim fit denominatio.

XXIII.

De Sectione, quam Chirurgi tanquam extremum remedium commendant, ut quædam differamus, sciendum, verum quidem esse, quod juxta Celsum melius sit experiri remedium anceps, quam nullum: interea tamen multa adhuc in casu ejusmodi sunt præsupponenda vel potius præmittenda. Nimirum Chirurgus ante omnia probè perspiciat, an patiens sufficiente adhuc virium robore polleat, ut operationem hanc sustinere absque vitæ dispendio queat: hoc si cognoverit, allaborare debet, num ægro persuadere valeat, hoc remedii genus

nus ſubeundi, his deinde perſpectis atque obſervatis, absque mora ſe accinget ad ipſam Sectionem, hac tamen conditione, ne temerè adſtantibus ſalutarem promittat eventum, cum hoc in poteſtate ſua non ſemper poſitum ſit, ſed quandoque fortunæ attribuendum.

XXIV.

Ipſam autem operationem antecedit Exploratio, qua mediante locus quidam eligitur, qui pro Sectione felicius perficienda aptus ſit; hunc ſi obtinuerunt, ſolent nonnunquam notare, quo Inciſio eo fiat exactior. Hoc facto aggrediuntur ipſam Operationem juxta Hildanum in Obſerv. Chirurg. Cent. V. obſ. 69. hunc in modum deſcriptam. *Fit nempe primo inciſio novacula usq; ad ipſam appendicem Vertebræ deſcendentem, mox per idem vulnus iterum immiſsâ novaculâ duæ aliæ fiant inciſiones, una ad dextrum, altera ad ſiniſtrum latus appendicis, deinde tenaculis, ad negotium hoc acceptis, apprehensâ appendice trahatur in altum, & reponatur Vertebra in ſedem naturalem. Neceſſe autem eſt, ut, dum hæc fiunt, ſpina extenſa ſit; quoniam hoc modo Vertebra in priſtinum locum facilius reſilit. Vulnus pro magnitudine dislocationis, aut exiguum, aut magnum infigendum eſt.* Quæ porro veniunt notanda circa tractationem vulneris ex laudato Autore peti poſſunt, cum prolixum nimis foret, ſingula proponere: hoc ſolum addimus, facillimè quidem hæc omnia ſcribi, difficillime vero exerceri.

XX.

Tranſimus ad fontem Pharmacevticum, cumque morbus noſter Operationibus Chirurgicis ferè ſolis profligetur, non opus erit, multa, ex hoc penu petita, proferre remedia: ſunt tamen quædam adminicula, quibus Chirurgus, antequam ipſam aggreditur operationem, inſtructus eſſe debet, v. gr. Emplaſtra, Linimenta atque Fomenta, quorum formulas hac

occa-

occaſione adjiciemus. De his autem conſtat, vix ullum inveniri Chirurgum, qui non peculiarem aliquam compoſitionem poſſideat, qua in caſu ejusmodi utatur, ut adeo vix operæ pretium requirat, multas addere. Si cui libet, poterit ſequens Emplaſtrum, alias ſatis laudatum, atque etiam feliciter in ſupra propoſito caſu ex Ephem. Germanor. adhibitum, applicare.

℞. *reſin.* ℥vj.
ceræ ℥iv.
terebinth. ℥x.
gumm. trachacant.
arab. āā ℥ß.
pulv. conſolid. major. ℥iß.
barb. capr. ℥iij.
putam. cancr. ʒij.
ariſtol. ℥ß.
later. bol. armen. āā ℥j.
terr. ſigill. lap. hæmatit. āā ℥ß.
mum. ʒij.
oſſ. human. uſt. ℥iß.
Pulv. omnia. F. ſ. a. Emplaſtr.

Linimenta etiam quamplurima poſſent præſcribi, prout Medicus hanc vel illam formulam præ altera magis amat, aut expertam habet: Sic Dolæus loco citato ſequens commendat

℞. *Ol. lumbricor.*
chamomill. āā ℥j.
ſalv. ℥ß.
axung. Cunicul. ℥iß.
homin. ʒvj.
M. F. Linimentum.

externe inungendum, quo extenſio felicius ſuccedat.

Fomenti speciem descripsit Sennert. Lib. V. Part. VI. Cap. V.

℞. *salv.*
alth.
flor. chamæmel.
melilot.
hyperic. ãã Mj.
Coq. pro Fomento.

Plura his superaddere supersedemus, quoniam formulæ in hoc casu proficuæ in magna copia inveniuntur apud Practicos, unde etiam B. L. eò deducimus.

XXVI.

Neque etiam abstinendum est ab internis, præsertim moderatè diaphoreticis aut sudorem moventibus in casu, ubi ab humiditate nimia ligamenta laxiora evadunt, & sic per consequens, aliqua Luxatio accidere observatur. Ne quid dicam de Confortantibus, sana quippe ratio quemvis edocet, aliter fieri non posse, quam ut æger quotidie, dum lecto affixus hæret, aliquid de viribus suis amittat: multo magis hæc sese patefaciunt, quando repositio Vertebræ Luxatæ per Sectionem tentatur, ubi omnino opus est Confortantibus, spirituumque vitalium vigorem promoventibus. Denique etiam aliquando opus habemus ejusmodi remediis, qui tonum partibus restituere, itemque spirituum animalium influxum, antea prohibitum rursus procurare valeant, quibus remediis sine dubio succurrendum erit partibus illis, qui à contusione vel potius compressione hujusmodi nimia affliguntur, qualia exempla in superius allegatis duobus casibus habuimus.

XXVII.

Aggredimur denique fontem Diæteticum, ac cum eodem agmen claudere constituimus; quo vero ordini consulamus, initium faciemus ab Aëre, cujus necessitas in corpore humano tanta est, ut ne quadrantem horæ eo carere absque vitæ discrimine queamus: cum vero duplici modo corpus nostrum

afficiat,

afficiat, ambiendo nimirum & inſpirando, neceſſe eſt, ut eligamus aërem temperatum, adeoq; neque nimis calidum, neque etiam nimis frigidum: calidior enim aër ad inflammationes aliaq; prava ſymptomata anſam præbet, cum è contra nimis frigidus varias humorum Staſes excitare valet.

Cibus ſit boni ſucci, itemque facilis concoctionis, de potulentis notandum, quod illi, quibus cerevifia ſuppetit, ſemper allaborare debeant, ut probè defecata ſit, ſecus autem varia excitat mala, præcipue etiam feneſtram huic affectui aperit. Qui vero vino pro potu ordinario utuntur, eligant rubrum, utpote vi quadam adſtringente præditum.

Somnus & Vigiliæ in mediocritate conſiſtant, ſic enim ſpiritus in vigore ſuo retinentur; quodſi vero peccemus in exceſſu vel etiam defectu harum rerum nonnaturalium, ſpiritus vel disſipantur, vel cruditates generantur.

Excreta legitimo reddantur tempore, neq; diutius retineantur; ſi autem alvus officio ſuo non rite fungatur, absq; mora ei ſuccurrere oportet remediis laxantibus atq; emollientibus.

Sic etiam ſeſe res habet cum Motu & Quiete, quorum diætam ideo commendamus, quoniam conſtat levisſimo etiam Motus præſertim exceſſu totam Curam deſtrui poſſe; præcipue ſi ab initio ſtatim repoſitionis is acciderit.

Ultimo nunc accedimus ad animi Pathemata, de quibus experientia loquitur, quod ſæpe ſæpius atrocisſima contraxerit ſymptomata, ſi nempe triſtiora fuerint; ne dicam, quod aliquando mortem acceleraverint.

XXVIII.

Aliûs quoque cauſæ ſupernaturalis meminit Hild. cit. loc. exemplo 3. de juvene quodam 20. circiter annorum, qui ob conceptam pravam phantaſiam, poplitali ſuo collum ſpondæ columnæ, ut ſe ſtrangularet, alligaverat, ſic ut ſequenti die morrtuus inventus, etiamſi collum laqueo conſtrictum haud fuerit.

fuerit. Hisce finem Dissertationi nostræ Medico-Chirurgicæ imponimus, & DEO tanquam Summo Archiatro gratias agimus, quas debemus, maximas, quod gratia & auxilio Spiritus Sancti sui hac vice adesse voluerit, rogamus etiam atque invocamus Summum Numen, velit imposterum quoque Studiis nostris benedicere, quo omnia vergant ad Sacrosancti Nominis sui gloriam, proximique ægrotantis salutem. Tu quoque B. L. ea, quæ hucusque protulimus, æqui bonique consule, nosque, si forsan alicubi erraverimus, meliori tua informatione dignos cense.

VErtebra quî recte possit luxata reponi
Hic labor, hoc opus est, hoc docuisse sat est,
Ut videant alii, modico Te tempore multum
Profecisse, in sacra Arte Machaonia.
Eja age vires ingenii protendere perge,
Sic studii assidui digna brabéa feres.

Nobil. atq; Clariss. DN. CANDIDATO *l. mq; scrib.*

JOH. JACOBUS BAJERUS,
D. & P. P.

